



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola LVII. Gregorii Papae I. Ad Anthemium Svbdiaconum. Palatinam
illustrem feminam pro sustentatione commendat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

soliciti, vt & res eius illibata seruentur, & utilitates vobis disponentibus more solito peragantur.

EPISTOLA LVI.
GREGORII PAPÆ I.

AD VRSICINVM DVCEM, CLERVM ET PLEBEM ARIMINENSEM.

De episcopo eligendo.

Gregorius Vrsicino duci, clero, ordini & plebi Ariminensis ciuitatis.

DILECTIONIS vestræ quam sit in expectatione pontificis prona deuotio, directæ relationis textus insinuat. Sed quia ordinatorem vehementer in his oportet esse sollicitum, nostræ in hoc vtique cura deliberationis inuigilat. Ideoque caritatem vestram scriptis præsentibus admoneamus, vt nullus se debeat pro Odeatini ad nos fatigare persona: sed si in eadem ciuitate qui ad hoc sit utilis inuenitur, ita vt a nobis reprehendi non possit, vestra concurrat electio. Si vero ad hoc dignus inuentus non fuerit, nos in quo pariter debeat præbere consensum, præsentium diximus portitori. Vos autem vnanimis orate fideliter, vt quicumque fuerit ordinandus, & vobis utilis possit existere, & dignum Deo nostro sacerdotale exhibere seruitium.

EPISTOLA LVII.
GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

Palatinam illustrem feminam pro sustentatione commendat.

Gregorius Anihemio subdiacono.

SI proximorum necessitatibus habita compassione benigna mente concurrimus, nostris procul dubio necessitatibus clementem Dominum reperimus. Palatina siquidem femina illustris, continua hostilitate insinuauit se plurimis necessitatibus subiacere. Propterea experientiæ tuæ præsentis auctoritate præcipimus, vt pro sustentatione eius annuos triginta solidos dare non differas, qui tuis postmodum possint rationibus imputari. Ita ergo fac, vt & tu bene ministrando mercedis commodum percipias, & nostra ad effectum præcepta perducas.